



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXVII. Vtrùm causa prima, & secunda, vt partiales causæ, ad eundem
effectum concurrant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

fine. Ergo ille concursus vt præcisè concipitur à solo Deo, est totalis actio illius effectus. Respondetur hypothese illam destruere propriam rationem, & conditionem talis concursus, & ideo licet data hypothese bona sit illatio, nihil inferitur contra positam illationem, quia non fit illatio de concursu prout modò à Deo præstat, sed de concursu qui fingitur ex illa hypothese. Declaratur, quia licet Deus per se sit potens ad faciendum se solo effectum causæ secundæ, nunc verò quando cum causis secundis concurrat, ita illis suum influxum, & actiuitatem accommodat, vt concursus eius prout nunc præstat, non sufficiat efficere effectum, si causa secunda non coagat, quia Deus (vt sic dicam) tali modo agendi non vult esse operator, sed cooperator, vt in Metaphysicâ dixi.

13
Falsò accu-
ratus au-
ctor,

Ex quo intulit quidam modernus Scriptor, insinuasse me in illo loco, quòd si in aliquo priori natura causa prima concurreret, & non produceret totum effectum. Hoc autem neque in mentem meam venit, neque ex verbis meis potest cum probabilitate colligi. Sed potius immediatè inferitur, fieri nullo modo posse, vt hic concursus Dei prout de facto datur, prius natura attingat effectum, quàm influxus causæ secundæ, quòd est verissimum, & satis probatum in corollario. Quòd etiam idem auctor admittit, ideo paulo inferius fatetur ita esse de facto quòd Deus, vt nunc cõcurrit cum causa secunda, non prius attingit effectum quàm illa, ideoque nec sine illa producit effectum. At vero posita hypothese quòd Deus vellet suo influxu prius natura attingere effectum, tunc quidem produceret totum effectum actione totali, tam ex parte principij, quàm ex parte termini, quia Deo non deest virtus, & per illam voluntatem applicaret totam virtutem necessariam. Tunc autem concursus Dei esset alterius rationis, imò non esset concursus, quia particula *con*, dicit comitantiam alterius, sed esset absoluta effectio, & tunc creatura vel nihil ageret, vel actum ageret, quod præsentij quæstioni est impertinens. Si autem talis fingatur hypothesis, vt manente eodem concursu prout nunc datur, prius natura attingat effectum, dico hypothese inuoluere repugnantiam, quia implicat concursum esse simultaneum per euitatè in eadem indiuisibili actione & prius natura attingere, vt probatum est. Et ideo data illa positione, sequitur per talem concursum totum effectum fieri, quia aliquid fit cum fit actio, quæ supponitur terminum suum attingere, vtque producendo illum & non partem, tum quia non est maior ratio de vna, quàm de alia, tum quia terminus illius concursus, est totus effectus, vt dixi. E contrario verò etià sequitur posita illa hypothese nihil omnino fieri quia deest concomitantia alterius agentis omnino necessarij ad talem effectum, & ad omne illud quod in ipso fieri potest per talem concursum, & Deus non applicat suam virtutem ad suppleendum illum defectum, vt supponitur, quia ponitur nolle amplius efficere, quàm cum causa secunda simul efficiat.

C A P V T XXVII.

Primum causæ primæ, & secundæ, vt partiales causæ, ad eundem effectum concurrant.

1.
Necessitas
huius quæ-
stionis ex-
plicandæ.

Hæc quæstio necessaria est ad auxilia supernaturalia explicanda, & ad tollendas verborum contentiones, & ad soluendam obiectionem quæ ex illa contra dicta oritur; sequi enim videtur

Deum concurrere cum causa secunda, vt partialem causam effectus causæ secundæ, & non vt totalem. Consequens est absurdum. Ergo. Sequela patet, quia causa quæ non influit actione totali, & integra, non potest dici totalis in actu, cum ab actione denominetur agens actu: diximus autem concursum Dei cum causa secunda non esse actionem totalem; ergo sequitur Deum vt influentem per illum concursum non esse causam totalem; erit ergo partialis. Falsitas autem consequentis ostenditur, tum quia hoc contra mentem omnium Theologorum, tum etiam, quia hæc esset maxima imperfectio in Deo: nam esse causam partialem dicit dependentiam ab alia causa partiali, quæ est magna imperfectio. Item, quia causa partialis est inferior in sua operatione, quàm causa totalis, quæ ex duplici partiali conflatur, sicut ex duobus trahentibus nauim & vnâ causam totalem componentibus, vnusquisque per se est viribus inferior vtroque simul. Hoc autem Deo attribui magna est imperfectio.

In hoc puncto Molina in concordia disp. 26. in Antuerpiana editione circa finem, concedit Deum, & causam secundam simul concurrentes ad eundem effectum esse causam partiales eius, & ex vtraque conflari vnâ causam integram, vt utitur quoque illo exemplo à duobus trahentibus nauim. Contra quam sententiam vehementer insur exerunt plures moderni Scriptores de auxilijs gratiæ, sed sine dubio disputant de vocibus, priusquam de re, vt alibi dixi, & mox explicabo. Et præterea excedunt in modo impugnationis. Primò, quia quidam eorum refert Molinam consequenter dicere quòd *partialis effectus respondet primæ causæ, & pars illius respondet secundæ, & ita Deus non attingit totum effectum prius, sed tantum effectus simul*. Quod certè si Molina diceret, non solum in modo loquendi, sed in re magni momenti errasset, non tantum contra communem Theologorum & Philosophorum sententiam, vt ille dicit, sed etià contra fidem. Nam inde fieret aliquam partem entis realis fieri in mundo, quàm Deus non facit, siquidem dicitur solum attingere partem effectus simul. At verò Molina longissimè ab illo errore abfuit, suamque sententiam explicuit, dicens: *At cum dicimus neque Deum per concursum vniuersalem, nec causam secundam esse integram, sed partiales causas effectum intelligendum id est de partialitate causæ vt vocant, non de partialitate effectus, totus quippe effectus à Deo est, & à causis secundis*. Et statim adhibet exemplum de duobus trahentibus nauim, & declarat in quo ponat similitudinem addicere. Si quidem quis eorum simul esset cum altero omnes, & singulas partes eiusdem motus. Illo ergo modo non fideliter refertur sententia Molinæ.

Hoc autem sano sensu supposito immeritò etiam dicitur ille modus loquendi esse contra omnes Theologos. Graues enim, & non pauci Theologi eo modo loquuti sunt. Gregorius enim in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 3. ad 12. expressè dicit modum communem quo Deus concurrat ad quemlibet effectum agentis creati, esse iuuando causam secundam, *partialiter cum illa efficiendo*. quæ verba habet idem Cardinalis præolus quæst. 1. art. 3. ad 12. contra tertiam conclusionem. Gabriel etiam 2. dist. 1. quæst. 2. art. 1. notat 2. latè, & inter alia dicit, *Deus producem effectum cum causâ secundâ, & dist. 37. quæst. 1. ad argument. de 4. viâ*. Deus volendo causat omnia, non tamen ideo est causa totalis, quia vult secum concurrere alias causas. Eodem modo loquitur Olchot in 2. quæst. 1. art. 3. in principio, & Lychetus in 2. dist. 37. q. 2. §. Ad solutionem, vbi ait Deum concurrere ad omnem actionem nostrâ vt causam partialem, quia vult causam secundam sibi cooperari, & alios statim referam. Neque contra prædictum sensum quod ad rem spectat, alicuius momenti est ra-

estratio illius auctoris; tunc enim solum est imperfectio in aliquo, quod sit causa partialis, quando indiget auxilio alterius concubae ex defectu viriū propriū, ut frequentius contingit in causis creatis, ut in visu, specie, & lumine, & in multis trahentibus nauim, quam neuter per se trahere potuisset. Nam ut dixit optimē D. Thomas 4. contr. gent. c. 7. ratio. 16. ad prouenit, quia virtus cuiuslibet imperfecta est, & insufficientis ad istum effectum, ideoque ex diuersis virtutibus congregatur vna virtus omnium, quae sufficit ad trahendum nauim. Secus vero est quando causa libera non ex indigentia, sed ex sua libertate, vel imperfectione virtutis, nō vult totaliter applicare suam virtutem, nec modo sufficiens, ut sola producat effectum, sed tantum cooperando cum alia, quae simul totum effectum efficiat. Tunc enim esse causam parialem in tali diuerso sensu non supponit imperfectiōem in tali causa, cum supponatur per se sola sufficiens; neque etiā ille modus agendi ponit in ea imperfectiōem, quia agere, vel non agere extra se non ponit perfectiōem in ea, nec tollit perfectiōem ab ipsa. Quāpropter de huiusmodi causa falsū dicitur, pendere ab alia in agendo: nam potius alia concausa pendet ab ipsa, quia dependentia dicit necessitatem iuuamini alterius ex propria impotentia. Vnde dicitur proprie effectus tunc pendere, non ab altera tantum causa, quantumvis potente, sed indigere alterius in fluxu quod verissimū est supposito illo agendi modo, neque enim sequitur aggregatum illarū causarum esse potentius altera causa secundum se, sed solū prout voluntariē limitante suam influentiam: quod nullum est inconueniens. Nam in re hoc est ab omnibus dicendum, siue his verbis, siue aliis vrantur.

Itō ergo modo causa prima coniungitur causae secūda, ut concausa, non ex defectu viriū, sed quia benignē vult esse accommodare causae secūda, ut eius efficientiam non tollat, neque praeueniat. Sicut homo fortis vult interduci non solus portare lapidem, sed cum alio, qui vult iuuare illum, & non totum opus in se suscipere, licet posset, in quo etiam multum distat homo à Deo, quia homo licet facere possit opus sine ope alterius, non tamen tanta facilitate, aut velocitate, aut sine tanto labore, & ita semper iuuatur aliquo modo in eo, quod per se non potest. Deus autem propter infinitatē virtutis, semper tam bene, & tam facile, & sine vilo labore solus posset facere, quod per causā secundam operatur. Solum ergo ex benigna prouidentia se cōstituit cooperatorem, & causam parialem, iuxta illum loquēdi modum, quem ita explicuit Gabriel 2. dist. 1. q. 2. art. 3. dub. 3. ad 3. in actibus vitalibus est multorum opinio Deum non posse se solo efficere illos sine cooperatione causae secundae, quod inter Thomist. satis receptum est, & ita videtur Deus ibi partialiter illo modo concurrere, non ex sola voluntate, sed quia tales actus non potest solus efficere. Et nihilominus dicendum est posita illa sententia id non esse imperfectiōem in Deo, quia id non prouenit ex impotentia Dei, vel ex defectu viriū, sed partim ex incapacitate talis effectus, quia nō est aliter producibilis, quā à principio intrinseco proximo, partim ex eminentia Dei, cuius puritati, & actualitati repugnare esse principium intrinsecum talium actuum. Quamuis, iudicio meo, probabilius sit quidquid est efficientiae in productione talium actuum non pēdere essentialiter à proxima potentia, sed posse à Deo solo fieri, licet nō connaturali modo neque informādo potentia, & ideo ut ita fiat decreuerit Deus iuuare potentias, ut illos vitali modo eliciant, sicut quē apte ad recipiendos in se formales effectus eorum. Alius vero eiusdem doctrinae defensor, & Molinū impugnat maximē inuenitur contra illū modum loquendi applicatum ad opera gratiae, de quibus

bus ita etiam loquitur Molina, & in primis obicit multa testimonia Patrum dicentium totum quod est in operibus gratiae, esse tribuendum Deo, & non partem homini, partem Deo. Deinde dicentium ipsammet cooperationem hominis esse effectū gratiae Dei, ut sic verum sit illud Roman. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*; dicentium denique nihil habere hominem vnde gloriatur, sed totum quod habet esse diuinā gratiae beneficiū. Obicit praeterea rationes. Prima est, quod potentia animae nullum habet virtutem innatam ad efficiendū actus supernaturales, etiā ut causa partialis; ergo Deus nō potest dici causa partialis propter cooperationem voluntatis. Secunda ratio est, quia alias dicendum esset etiam Patrem partialiter producere Spirit. sanctum, & similiter Filium, & comparari posset cum duobus trahentibus nauim, neque neuter producit Spiritum sanctum, sed ambo simul. Tertia ratio est, quia principale agens, & instrumentum nō sunt duae causae pariales, sed causa secunda est veluti instrumentū causae primae; praesertim in operibus gratiae; ergo. Sed citata testimonia non recte accommodantur praesenti institutio. hae omnia

loquendi
Molina.
Ex PP.

Deinde ex
ratione.

Diluantur
haec omnia.

Quibus praeter oculis habitis facile intelligitur priora testimonia in contrarium allegata nihil obesse; illa enim contra Semipelagianos scripta sunt, & procedunt. Illi enim ita diuidebant bona pietatis opera inter hominem, & Deum; ut quaedam dicerent fieri ab homine solum per liberum arbitriū, alia per Dei auxilium; illudque non omnino gratuitum, sed per priora opera sua promeritum, ut Prolegom. 5. late dictum est. Contra hos itaque dicit Augustinus lib. de praedestinat. sanctor. cap. 2. *Augustin.* Homo non ita componat cum Deo, ut partem fidei sibi vendicat, atque illi partem relinquat, & quod est elatus, priuam tollit, ipse sequentem dat illi. Et contra eundem errorem sic intellectum inducit verba Apostoli, *Quid habes quod non accepisti.* & verba Cypriani. *In nullo gloriamur, quoniam nostrum nihil est.* Et in eodem sensu dicit cap. 7. *Quidquid antiquam in Christum crediderit, & cum crederet, & cum credidisset, Cornelius operatus est, totum Deo dandum est.* vbi particula totum non concludit cooperationem hominis, alias pugnetur tum verbo operatus est, sed distribuit omnia opera conducentia ad salutem, etiam siudem antecedant. In eodemque sensu ait idem Augustinus lib. de dono perseuer. cap. 6. in fine. *Tutores vultimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, nobis autem ex parte remittamus.* nimirum aliquid nostris viribus, & propter illud aliquid à Deo sperando. Et in hoc sensu allegat alium locum Cypriani exponentis verba orationis Dominicae, & ne nos inducas in tentationem; & dicentis illam orationem admonere vnumquemque infirmitatis suae, ne quis sibi superbe, arroganterque aliquid assumat. Nam, ut infra subdit, vbi praedicat humilis, & deuota confessio, datur totum Deo, vbi etiam particula totum non excludit, quin totū opus liberum fiat etiam ab homine, sed distribuit omnia opera, & quidquid boni est in quocun-

6.
Explicatur
allata testi-
monia &c.

que opere ab initio eius vsque ad finem. Et in eodem sensu subiungit Aug. cap. 7. illam Domini orationem nihil nobis reliquisse, in quo tanquam in nostro gloriemur. Vnde optimè Bernard. de Grat. & lib. arbit. non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opera indiuidua peragunt; totum quidem hoc, & totum illa, sed vt totum in illo; ita totum ex illa. In quo vltimo verbo indicat alium modum, quo totum opus pium dicitur esse ex Deo, vt iam de claro.

Bernard.

7.
Alia testi-
monia ex-
plicata.

Vnde testimonia etiam, que secundo loco obiciuntur, ad punctum quod nunc tractamus, nihil conferunt, quia in presenti non consideramus Deum secundum omnem rationem, & modum quo per gratiam suam in nobis operatur, nostrumque eleuat, vel tegit arbitrium, sed præcisè vt concurrat nobiscum per concursum simultaneum, & suo modo generalem, quod expressè Molina in eodem loco aduertit, nullum tamen Catholicus ignorat liberum arbitrium non nisi præuentum à Deo, & viribus gratiæ instructum posse in suo ordine esse causam supernaturalis actus huius, & similitum, ideòque necessarium esse, vt à Deo præueniatur, vocetur, & excitetur ad supernaturalem consensum præstandum. Considerando ergo Deum non vt co-operatorem, sed vt inducentem, & trahentem lib. arbit. ad consensum, verissimum est in Deum solum tanquam in primam radicem & causam, pium opus liberi arbitrii esse reducendum. Et in hoc sensu loquuntur Patres secundo loco allegati, vt constat aperte ex Aug. de prædest. Sanct. c. 16. vbi ponderans verba Pauli, Non ex operibus, sed ex vocante, ait, Nunquid dixit non ex operibus, sed ex credente. Rursus, Hoc absulit homin. vt totum daret Deo etiam voluntas credendi, & cooperatio liberi arbitrii, quia illa etiam prouenit a vocatione, non quacunque, sed congrua, qua fit, vt homo velit. Per hoc autem non excluditur, quia liberum arbitrium fit simul causa sua fidei cum Deo illi cooperante, neque illi doctrinæ contrarium est, quod propter illam cooperationem causæ partialis vocetur.

8.
Confirma-
tio allatæ
expositio-
nis.
Aug. 8.

Vnde idem Aug. lib. 3. qq. 68. dixit, Si quis sibi tribuat quod venerit vocatus, non potest sibi tribuere quod vocatus sit. & in Enchirid. c. 32. tractans verba Pauli ad Rom. 9. Non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis, exponit dicta esse, vt totum Deo detur. Declarans autem quomodo totum datum sit Deo, addit, Qui hominis voluntatem bonam & preparat adiuuandam, & adiuuat preparatam. Preparat autem excitando, adiuuat cooperando; ergo vt tribuat totum Deo non considerat illum præcisè vt concurrentem, sicut nec modo loquimur, sed præcipue vt voluntatem preparantem. Et sic etiam Ambros. lib. 2. de Abraham c. 7. exponit eadem verba Rom. 9. Non est volentis, dicens, vt omnia tribuas Deo qui te vocauit. Et in idem redit quod dixit Paulus Or. in fine suæ Apolog. totum fructum palmitis tribuendum esse viti, quia dat non solum vt possit, verum etiam vt sit, & Anselm. circa id ad Ephes. 2. Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis. Dei, ait, donum est fides, & vocatio & non partim, sed pure donum Dei, quia non ex operibus, ergo ratione vocationis totum est Dei solius, quia vocatio nullo modo est à nobis, & per illam nobis datur, vt possimus, & si sit congrua, datur etiam vt velimus. Eandemque doctrinam summam tradit D. Thom. 1. 2. q. 11. art. 2. ad 2. vbi dicit totam iustificacionem esse ex gratia, quia ipsa cooperatio nostra procedit ex gratia vtique excitante & sit cum adiuuante.

Ambros.

Oros.

Anselm.

D. Thom.

9.
Alia testi-
monia al-
lata expli-
cata.
Hieronym.

Denique eos sensus habent testimonia in tertio loco allegata, vbi cumque enim Patres dicunt, totum opus salutis esse tribuendum Deo, non intendunt excludere propriam causalitatem liberi arbitrii in operibus pietatis, sed interdum illam solum nihil per se valere, nisi à Deo, & adiuuetur. Sic Hieronym. Ierem. 18. exponens illa verba, Signum lumen in

manu signi, ostendit per illa non excludi causalitatem liberi arbitrii, sed doceri non esse totum tribuendum homini, sed gratiæ, quod exponens subiungit, ita enim libertas arbitrii seruanda est, vt in omnibus excellat gratia largitorum. Et familia multa habet Chrysostomus in Ioan. 15. & tom. super 2. epistol. ad Thess. & 6. in id 2. ad Corinth. 3. non quod simus sufficientes, &c. nam quia Paulus dixerat, fiduciā habemus ad Deum, vt hoc, inquit, emolliat, subdit, nō quod simus sufficientes &c. hoc est, non ita dixi, fiduciā habemus tanquam aliud nostrum sit, aliud Dei, sed totum istud Deo adscribo. Ac denique eodem sensu dicunt Patres, nihil est in homine de quo possit gloriari, quia omnia debent in Deū referri, & quo quisque sanctior est, eo magis totum Deo tribuere, vt videlicet in Cypriano l. 3. ad Quirin. c. 11. Basilio Homil. 22. de humil. & Nazianzen. orat. 31. ita exponit illud Rom. 9. Non est volentis, &c. Idcirco ait, Non volentis, id est, non solum volentis, nec currentis, sed solum, sed etiam miserentis Dei. Ita quoniam velle quoque ipsum à Deo est, optimo iure totum Deo assignauit, hæc enim ideo dicuntur, quia omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum, Iacob 1. & eo ipso, quod vt tale recognoscitur, homo non habet unde gloriatur, iuxta illud ad Ephes. 2. Dei enim donum est, vt ne quis gloriatur, vtique in seipso, vt exponit Augustinus per allegatum in cap. 7. de præstinatione. Sanctior qui autem recognoscit perfectè gratiam Dei, licet suam cooperationem liberā necessariam esse cognoscat, non in se, sed in Domino gloriatur, quod Paulus non reprehendit 2. Corinth. 11. de qua re dixi plura in lib. de Auxiliis cap. 20. ad 3. 7. 13.

Ad primam rationem responderetur negando assumptum, quāuis enim ex se voluntas non habeat innatam virtutem per se sufficientem, etiam in ratione principij proximi ad actus supernaturales faciendos negari non potest, quin habeat aliquam inchoatam, siue illa dicenda sit naturalis, vt multis placet siue obedientialis, vt mihi magis probatur, & illa sufficit vt in suo genere dicatur causa, & concausa cum Deo. In hac vero ratione indicant illi auctores liberum arbitrium per seipsum non habere proximum, & immediatum influxum in operam gratiæ, sed solum mediante habitu infuso, vel alia motione gratiæ præuia, quæ suppleat vim effectiui habitus, & in hoc sensu significant etiam totum opus pium esse tribuendum gratiæ, quia totum principium tam proximum, quam primum, quo ne est gratia. Verum tamen, quia hoc nunquam satis declarant, illud eis simpliciter non tribuo: si tamen ita sentiunt, falsam ex ultimo talem doctrinam, & interpretationem, quia est contra rationem actus vitalis, & liberi, & in lib. 6. fusè tractabo.

Ad secundam rationem negatur sequela, quia Pater & Filius non sunt duo principia Spiritus sancti, sed vnum, producentem vna & eadem voluntate, ac virtute, quæ tota est in vtraque persona, & tota in singulis, & ideo nulla est æquiparatio. Ad tertiam rationem responderetur (in primis) non procedere in hanc sententiam eiusdem auctoris, qui alibi totis viribus contendit voluntatem esse causam principalem actus supernaturalis, & saltē ratione habitus, quando per illum operatur, negari nō potest. Deinde dicimus etiam causam instrumentalem habere suam causalitatem propriam, ratione cuius causæ principalis non est simpliciter adæquatæ, & vnica causa effectus, ab vtraque producti, & de effectibus gratiæ id insinuat Paulus, dicens, Non ego, sed gratia Dei mecum. & ex Theologis Bonau. in 1. dicit. 40. art. 2. quæst. 1. dicit prædestinationem non esse totam causam, sed cum alia, scilicet cum libero arbitrio. Et Thom. 1. 2. Elius Ordinis Prædicatorum tract. de donis Spiritus sancti p. 473. aliàs 478. de dispositionibus ad gratiam dicit,

dicis, *Sufficientia dispositionum est à Deo, & à nobis, ut à duobus causis partialibus facientibus vnam totalem.*

Concludo igitur si rem ipsam spectemus; nihil esse in illa doctrina, quod iure improbari possit. Ad do etiam si vis fiat in verbis, vel in modo loquendi, vel in exemplo de duobus trahentibus naum, nullam reperiri ibi sufficientem causam, vel occasionem offensionis: tum, quia cum de re, & vero sensu constat, & in verbis nulla occasio errandi datur, quia sufficienter explicatur, non est, cur de illis multum condendatur, tum etiam, quia graues Theologi eodem modo loquuti sunt, ut vidimus, & alij exemplo illo de duobus trahentibus naum vbi sunt ad concursum Dei cum creatura explicandum, ut videri potest in Bellarmino l. 4. de Grat. & lib. arb. c. 15. in principio. Stapletonio in Antido. contra Colum. in epist. ad Cor. vers. Raphaële Venuit. l. de prædest. & lib. arb. contra Luther. lib. 1. fol. 41. & ex veteribus Gabriele 2. dist. 1. q. 2. dub. 5. ad 3. Olcoth in 2. quest. 1. art. 4. ad 10. formam quarti argumenti principalis, & Caletan. 3. part. quest. 62. art. ad finem, & Conrad. 1. 2. q. 79. art. 1. in fine corporis. §. nota secundum. Qui tamen auctores non vtuntur hoc exemplo ut in omnibus putent tenendam esse similitudinem, sed in hoc solum, quod Deus, & liberum arbitrium, seu causa prima, & secunda habent propriam efficientiam in eundem effectum, & neutra illum operatur sine consortio alterius, sicut vnus trahentiū non mouet naum sine alterius consortio.

Vnde etiam P. Alvarez fatetur si per causam partialem alicuius effectus nihil aliud significetur nisi causa quæ sine consortio alterius causæ non operatur talē effectum, sic Deum concurrentem cū causā secundā esse causam partialem, imò ait auctores vtriusque sententia hoc vnanimi consensu confiteri, etiam in Deo, & libero arbitrio respectu supernaturalis concursus. Addit tamē alio modo dici causam partialem, quæ ita cum alia operatur, ut licet foris illi dederit virtutem agendi, non tamen dat illi in proprio genere causæ efficientis propriū influxum, & conatum, & in hoc posteriori sensu ait loqui Molinam, imò & nos omnes. Quia docent, ait, liberum arbitrium habitu supernaturali, vel excitante Dei gratia adiutū ita efficere actum suum, & in illum influere pro innata libertate, ut à Deo, vel ab auxilio efficaci tanquam à causā priori, & per se efficiente non dependeat.

Sed in hoc confundit vnam quæstionem cum alia de physica prædeterminatione, & nobis attribuit quæ in nostris certis libris non legit, vel designat loca in quibus ea inuenerit. Probat primum, quia hic præcisè tractamus de concursu simultaneo, & de Deo vt præbente illum, ut iam admonui. quæ consideratio locum habet quidquid sit de altera quæstione de concursu præuio: nam admissa illa motione præuia, vt causa secunda sic præmota influat in effectum, indiget actuali cooperatione Dei, & Deus sic influens postulat consortium alterius causæ; ergo si causa partialis solum significat causam ita agentem, vt postulet consortium alterius coagentis, etiam Deus sic agens, erit causa partialis, neque hæc vox excludit præmotionem vel physicam, vel moralem vnius causæ, in aliam, neque illam includit, sed ab hoc abstrahit, supponitque voluntatem sufficienter constitutam in actu primo per præcedentia auxilia immixta à solo Deo esse causam partialem sui actus secundi; & similiter Deum tunc non facere talem actum sine consortio voluntatis humanæ. Sicut Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 26. ait Dei præuenientem opitulationem per innumeros modos omnibus adhiberi. Et quod à multis refutetur, ipsorum est nequitia: quod autem à multis suscipitur, & gratia est diuinæ, & voluntatis humanæ. Vnde addo etiam si verum esset,

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

precedere motionem physicam Dei in liberum arbitrium, adhuc verum esset in illo sensu Deum vt concurrentem per influxum simultaneum esse causam partialem, non solum respectu liberi arbitrij, sed etiam respectu illius præuie motionis, quia illa etiam concurret ad actum non sine consortio alterius concursus simultanei Dei, vt in puncto sequenti dicam.

Deinde ostendo alteram partem. Quis enim non stitum vnquam dixit voluntatem nostram infirmam habitu infuso, & excitatā à Spiritu sancto pro innata libertate ita influere in suū actum, vt à Deo vel ab auxilio efficaci tamquam à causā priori, & per se efficiente non pendeat. Contrarium enim ex præcedenti capite statuiimus, vt non notum, sed, vt antiquum, & indubitatum. nam voluntas dominis creatis affecta causa secunda est: hanc autem causam essentialiter diximus pendere in suo influxu à causā prima, quæ causā prior est, & per se efficiens, & concursus eius, auxilium efficax est: ergo quod per illa verba in rigore significatur, falso nobis tribuitur. Quod si sub illis tantum significatur voluntatem excitatam, vel affectam habitu, vel alia virtute sufficiente in actu primo, non pendere ab alio auxilio efficaci priori, & præuio; hoc totis viribus contendimus, non tamen per illa verba in proprietate sumpta significatur. Neque etiam propter illam controuersiam de auxilio illo præuio dicitur Deus causā partialis, sed præcisè propter concursum simultaneum.

Vltimò addo in hoc puncto, etiam si modus ille loquendi, quo dicitur Deus causā partialis, admittatur, non propterea negari, quin sit causā totalis sub alia consideratione, nimirum in suo genere causæ supremæ: vnde Raphaël Venuit lib. 2. de prædest. dixit Deum esse causam operis nostri partialem, & totalem, sed non totaliter influentem. Quod certè Molina non ignorauit: nā in loco allegato statim subdit: Si sit de integra, siue tota causā, non omnino, sed in aliquo gradu causæ, tunc Deum per concursum generalem esse causam integram in genere vniuersalissimā, seu primā causā, quia in eo gradu neque habet, neque habere potest consortem. Et ob hanc rationem mihi semper magis placuit hic loquendi modus, vt Deus etiam vt concurrens auxilio simultaneo vocetur potius causā totalis, quā partialis, quia vt dicatur totalis, sufficit quod in suo ordine, & gradu, qui est perfectissimus, tota causā sit. Et hæc vox maioris est excellentiæ, & perfectionis, quā altera, vt per se patet. Aliunde verò nomen partialis causæ videtur dicere habitudinem ad alteram causam partialem eiusdem ordinis, vt rectè adnotauit Caietan. 1. p. quest. 52. artic. 2. §. Ad eundem, in fine. Vnde necesse est vt ex vtraque causā quæ partialis dicitur, vna causā integra consecretur, quod in præsentia admittit Thomas Elius in verbis allegatis. Re tamen vera non rectè; nam ex causā prima, & secunda non conflatur vna totalis causā, sed cumulus plurium causarum ad talem modum efficiendi necessarium, quod longè diuersum est, vt benè notauit Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 2. quest. 9. sect. 2. §. Quo loco, in fine, sicut materia, & forma licet simul concurrant, vt plures causæ ad eundem effectum, non possunt dici componere vnam causam totalem; ergo neque causā primā, & secundā simul concurrentes dici possunt vnam causam efflere, seu componere. Ergo sicut materia, & forma non dicuntur plures partiales causæ, sed vnaquæque est totalis in suo genere, ita de causā primā & secunda, censendum, & loquendum est. Nam seruata proportionē, eadem est ratio, quia sicut materia, & forma habent diuersos causandi modos, & vnaquæque in suo genere est

15. Alia calumnia aliuat.

16. Quomodo Deus sit causā partialis & totalis simul. Raph. Venuit.

Caietan.

Thomas Elius.

Fonseca.

